

mirabilis atque supra modum ammirabilis iustissime reputatur, circa quorum exaltacionem divina in tantum incenditur bonitas, ut ipsorum votis ultra quam ipsorum meruerit humilitas se accomodet et inclinet. Id non indigne attendebant inclite recordacionis dive memorie imperatores et reges antecessores nostri, fama, virtute, re et nomine preclari, qui ecclesias suis construxerunt opibus, constructas confovebant habundancius, personis ecclesiasticis Deo famulantibus prediorum possessiones largissime largitate regia tribuendo, tradita et tributa in omni libertate, iure et quiete integre ac pacifice conservando. Horum nos exempla, quantum is annuerit, qui dat omnibus affluenter, sequi in via largitatis, clemencie ac rectitudinis cupientes, ecclesiam talem a divis imperatoribus et regibus inclite recordacionis nostris antecessoribus multis ditatam libertatibus et bonorum titulis insignitam amplexantes quemadmodum nostri antecessores ulnis gracie et beneficencie specialis, ipsam in nostram et sacri imperii tuicionem et protectionem recipimus specialem cum personis et rebus omnibus attinentibus ecclesie supradicte, confirmantes insuper omnia iura, libertates et gracias, quas a divis imperatoribus et regibus ad tempora magne recordacionis F(riderici) imperatoris nostri antecessoris ultimi dicta ecclesia habuit ab antiquo. Mandantes nichilominus regio hoc edicto, ne quis imperii nostri fidelium dictam ecclesiam vel personas Deo famulantes ibidem presumat aliququaliter molestare aut iura infringere vel libertates concessas quomodolibet violare. Nulli ergo omnino ho(minum) li(ceat) h(anc) nostre ma(iesta)tis indulgenciam infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod qui facere etc.

112. Exordium confirmacionis.

[C]um divorum imperatorum et regum inclite recordacionis antecessorum nostrorum gesta pia mente recolimus ac interne consideracionis oculis perspicimus, ut eorum iustis exemplis nostra coaptemus vestigia, in voto gerimus atque desiderio pleniori, sperantes, quod ex eo, quod ecclesias et ecclesiasticas personas divino cultui deputatas liberas atque a pressuris ereptas pleniori pre ceteris gracia confovemus, concessa nobis a summo rege regnante et gubernante omnia salus et gracia debeat ampliari.

119.

Querelam gravem t(alis) recepimus continentem, quod ipse sub tui conductus fiducia a quibusdam hominibus tuis